HIERONYMUS
2. Hälfte 12. Jh.
Seite 59r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36486
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

cui mansuetudo aduersus saul absalon & semei uel maxime clarum
cui alius cui uellet occidere. alius res nouas moliens. fraudare imperio
nitentem. alii lapides in eum iacientes & puluerem uentilans. clamarent &
dicerent. egredere egredere uir iniquitatis. Extrema continentia in fructibus
spiritus collocatur. quam non solum in castitate debemus accipere. sed etiam in cibo & potu.
in ira quoque & uexatione mentis & detrahendi libidine. Inter modestiam autem
& continentiam hoc interest. quod modestia in uiris perfectis est. consummatique
uirtutis. de quibus saluator ait. beati mites. quoniam ipsi possidebunt terram.
& de seipso. discite a me quia mitis sum & humilis & mansuetus corde.
continentia uero in iuuenibus quidem uirtutis est sed necdum peruenit ad calcem.
quia cupiditates adhuc in eis quae se continet cogitatione nascuntur. &
mentis polluunt principale. licet non superent. nec ad opus perducant
cogitantem. Non solum autem in desideriis & cupiditate continentia necessaria est. sed etiam in tribus reliquis perturbationibus. dolore scilicet letitia.
& timore. Aduersus huiusmodi fructus spiritus non est lex. Iusto quippe lex
non est posita. iniquis autem & non subiectis impius & peccatoribus. Lex enim dicit.
non adulterabis. non occides. non falsum testimonium dices. non fraudabis. non desi
derabis aliena. non periurabis. non furaberis. Si hec omnia fructus in me
spiritus karitate regnante non facio. superflua enim sunt preceptis legis. Denique &
sapientes mundi de philosophia sic opinati sunt. ut quod leges publice ho
mines facere necessitate compellunt hoc illa persuadeat fieri uolun
tate. Qui autem sunt xpi. carnem suam crucifixerunt cum uitiis & concu
piscentiis. Origenes hunc locum superioribus nectens. ita legit. Aduer
sus huiusmodi non est lex. quia carnem xpi crucifixerunt cum uitiis & concupiscentiis.
Vt non sicut in latino sonat eos quia xpi sunt carnem suam dicat crucifixisse
cum uitiis & concupiscentiis. sed xpi carnem ab his cum uitiis & concupis
centiis crucifixam. Et quoniam in his quia fructus spiritus ha beant.
& aduersum quos lex esse cessauit. crucifixio carnis domini ponitur
ponatur in laude. cum ad hebreos in uituperatione sit. posuum.
Rursus crucifigentes sibimetipsis filium dei & ostentui ha
bentes. Meli unum uerbum conpositum in greco est ἀνασταυρο
ῦντες. quod nos interpretari possumus. recrucifigentes.

prorsus crucifigentes.